



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-725774-p0001-7

DFG

1736.

- 1^o. Beckius, Caspar Schalbus : De fundis haemorrhiose
palmarinis. 25 Sept. 1720 - 1754.
2. Beckius, Caspar Schalbus : De iuris prolium
patrum paterstatis causa.
3. Beckius, Caspar Schalbus : De legibus jurancitorum
usq.
4. Beckius, Caspar Schalbus : De curiis provincialibus
~~leximini~~ saxonice.
5. Bruecknerus, Gert. Hieron. : De revolutionis odio
i*z* jure.
- 6^o. Bruecknerus, Gert. Hieronimus : De strategemis
Iustis advocateis . . . 2 Scapl.
7. Buddens, James Franciscus : De iusta ecclesiarum
apostolicarum . . .
- 7^o. Floridius, Antonij Veneris : Samm. doctoris iuri*Nic*
honores . . . Ioann. Dr. n. Floridius . . . pretulari
senior epis. sua ceteraque iure consultorum adola-
torum exempla quædam reperi videntur.

1720.

8. Fries, Dr. Barth., Ord. iur. decanus: Gullmaris Harici
Moydensicis lectionem solam in dictum program-
mate auspicatis.
9. Friesen, Dr. Barth.: Deliberis fidei reversibus.
- 10^o Fries, Dr. Barth., Ord. iur. decanus: Harici
Consuet. Prodigy lectionem solam in dictum program-
mate auspicatis. 2. Sept. 1809.
11. Friesen, Dr. Bartholdus: De contractu censualis
natura.
12. Friesen, Iohannes Bartholdus: Timere de propterea stori-
ta statim remittenda.
13. Fries, Dr. Barth., Ord. iur. decanus: Tuti Picharici
Vormannus lectionem solam in dictum programma te
auspicatis.
14. Pragmannus, Nicolai: De jure epiphaphiorum.
15. Schrockenus, Dr. Christianus: Programma, lectionis auspi-
catis Pauli Institutui Bruckneri. - praemissa.

1720.

16. Schroeterus, Dr. Christianus: De privilegiis praesertim
bonis & amissoriis ecclesiae Romanae non comple-
tente.
17. Schroeterus, Dr. Christianus: De auctoribus conventus-
natis Iuris Saxonicae Forum Saxonie
18. Schroeterus, Dr. Christianus, Dr. iur. Decanus: Programme,
lectionis auspiciis Wolfgangi Aureae Maiorii - - -
praemissa.
19. Schroeterus, Dr. Christianus, Dr. iur. Decanus: ²
Programma, lectionis auspiciis Christiani Gottliebi
Moritz . . . praemissa. 2 Sacra.
20. Schroeterus, Ich. Christ.: De commoto, vel incommuto
en alterius persona accidente, quod ex sua noua
Latinitate.
21. Schroeterus, Dr. Christianus, Ord. iur. Decanus: Pro-
gramma, lectionis auspiciis. Christiani Josephi Thel-
harrii . . . praemissionis.

1720.

22. Hugotius, d. Philippus : De origine bonorum
mensae Episcopalis.
23. Struvius, Bucardus Gottheffius : De territorio clauso
emulatum Imperialium.
24. Struvius, Fridericus Gottlieb : De jure sacerorum.
25. Struvius, Frider. Gottl. : De dominio marii in rebus
uxoris immobilibus in aequitatem in defens. datis
26. Widogeltius, Christianus : De differentia consensus
sponsalitii et matrimonialis.
27. Widogeltius, Christianus : Tribonianus circa legem
Iactorianam non errans.
- 18^a = ^b Widogeltius, Christianus : De iuramentis Indacorum.

C. 1720. 1720. 1720. 1720. 1720. 1720. 1720. 1720.

S. 1228.

1720, 4

5

DISSSERTATIONEM PRIMAM
DE
CVRIIS PROVINCIALIBVS SAXONICIS

ADSPIRANTE DIVINO NVMINE
RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAEQUE
ET RELIQVA

PRAE S I D E

CASPARE ACHATIO BECKIO D.
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO
ET IN CVRIA PROVINCIALI SAXONICA ADVOCATO ORD.

PATRONO SVO AC PRAECEPTORE
PIE COLENDO

PLACIDAE COMMILITONVM DISQVISITIONI
IN IVRE CONSVLTORVM AUDITORIO

DIE APRIL. CID IC CCXX

S VBIICIT

JOHANNES PAVLVS VOCKEL DRESD.
IVR. CAND.

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS.

DISSERTATIONE PRIMAM
CARIS PROVINCIALIBAS
SAXONICIS
ADSPERANTE DIVINO NOME
RECTORE AGNIWME INGENIO MAGNIFICENTISSIMO
SERVANTIMO PRINCIPIE AC DOMINO
DOMINO

MILHEIMO HENRICO
DACE SAXONIAE ILLIGI CIVITATI MONITIA
ANGRIAE ASTPHALIA TAGEAE
ET REFLIGAE

PRAESIDE

CASPARAE ACHATO BECKO D
TACITVM TROFESSORIE PÆPLO EUTERODINARIJO
ET IN CAVI THOMINCIAL SAXONICÆ ADGOCATO QD.
PATRONO QDO AC PRAECEPITO
BIE GÖTTINGO

TACITVE COMMUNIONAM DISCORSATIONI
IN LARE CONSULTORIUM AUDITORE
DI 21 APRIL 1713 CCXX

SARHIC
JANUS PAULVS VOCATE DRESD.

GENE LIBRÆ FICKELSCHE RIMAIS.

A
SON ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEUR
**CHARLES GUILLAUME
FREDERIC**

MARGGRAVE DE BRANDEBOURG,
DUC DE PRUSSE, MAGDEBOURG, STETIN,
POMERANIE, DES CASSUBES ET VAN-
DALES, DE MECKLENBOURG, EN SILE-
SIE A CROSSE, BOURGGRAGE DE NU-
REMBERG, PRINCE DE HALBERSTAD,
MINDE, CAMIN, WENDEN, SUERIN ET
RATZEBOURG, COMTE DE HOHENZOL-
LERN ET SUERIN, SEIGNEUR DE RO-
STOCK ET STARGARD. ETC. ETC.

MONSEIGNEUR,

De toutes les vertus qui conviennent à un Prince Chrétien, il n'y en a point qui égale le véritable zèle pour la religion. C'est par ce zèle qu'il se rend agréable à Dieu, à d'autres Princes, & à ses sujets. Pour ne rien dire des deux premiers avantages, combien n'en a-t-il pas par rapport à cette dernière qualité ! Plus un Prince est zélé pour la religion, plus il gouverne avec sagesse, avec modération, & avec amour pour son peuple, & plus il s'attire par là la bénédiction de Dieu. Ses sujets qui cueillent les fruits d'un gouvernement si sage, si modéré & si plein d'amour, ne passent pas un moment sans remercier le ciel de la grâce qu'il leur a accordée de leur donner un tel Prince, & sans prier incessamment la divine bonté de le conserver longues années, afin qu'ils puissent vivre davantage en repos & en bonne tranquillité. Et qui plus est, un tel Prince inspire par son exemple à ses sujets un semblable zèle pour la religion chrétienne, par où il sauve une infinité d'âmes de la perdition éternelle. Il n'y a personne, MONSEIGNEUR , qui ignore que VOS GLO-


GLORIEUX ANCETRES, parmi tant de belles qualités qu'ils se sont aquises, ou qu'ils ont eues de la nature, se sont approprié celle de Defenseurs zelés de notre sainte Religion Protestante, & qu'entre autres GEORGE le PIEUX a montré son zèle dans les commencements penibles de la Reformation entreprise par le fidele Serviteur de Dieu le Docteur Luther, si bien que non seulement il a apporté tout ce qu'il a peu pour établir dans ses Etats la Religion purifiée des abus des Papistes, mais aussi qu'il s'est rendu Lui-même à la Diète d' Augsbourg, où il a parlé au nom de tous les Protestans devant l' Empereur & les Etats de l' Empire, ayant aussi souscrit & présenté la Confession appellée du nom de cette ville. Comme donc VOTRE ALTESSE SERENISSIME fait consister sa plus grande gloire à imiter des exemples si illustres & si louables, ayant en cela une Imitatrice zelée dans la personne sacrée de SON ALTESSE NOTRE SOUVERAINE SERENISSIME, ses Sujets en ont tant de joie qu'ils ne fauroient trouver des termes assez expressifs pour la faire paroître au public. De ma part je m'estimerois tout à fait indigne de jouir de la protection d'un PRINCE si clement & si pieux, si je ne cherchois pareillement les moyens de temoigner combien j'en suis touché

ché : mais jusqu'ici mes efforts ont été inutiles.
Cependant ayant résolu de montrer en quelque
manière par un petit ouvrage public le peu que
j'ai fait de progrès dans le cours de mes études,
dans l' Académie de Iene, j'ai cru commettre un
larcin, si je n'en consacrais à VOTRE ALTESSE
SERENISSIME les premices. Je n'ose me flatter
qu'elles trouvent son approbation , connoissant
trop bien la mediocrité de mon talent: je me con-
tente de montrer à VOTRE ALTESSE SERE-
NISSIME le désir ardent que j'ai d' être mis au
nombre de ceux qui aspirent à la gloire de faire
connoître que l' ingratitudo n'est pas leur vice. Si
j'obtiens cette grâce, j'ai tout ce que je désire, & je
me puis promettre que VOTRE ALTESSE SE-
RENISSIME m'accordera davantage le titre le
plus glorieux auquel je puisse jamais prétendre,
qui est de me dire avec un très profond respect,
& une entière soumission

MONSEIGNEVR,

DE VOTRE ALTESSE
SERENISSIME

*le tres humble , tres obeissant & tres
fidele Serviteur & Sujet
IEAN IAQVES BECK.*



CAPUT PRIMVM

HISTORIAM IUDICIORVM GERMANIAE
SVMMATIM EXHIBENS.

S. I.



Iudiciorum in genere mortalium *Necessitas* summa esse necessitatem, sine *iudiciorum* magna difficultate vnuusquisque *in republi-* intelligit. Nulla enim respubli- *ca*.
ca consistere potest sine iustitia, nulla iustitia administratio est sine legibus, nullae leges sunt sine applicatione, nulla denique legum applicatio datur sine iudiciis. Quare malesani illi homines qui legitimas rerum controvrsarum di- sceptationes ex ciuitatibus Christianorum exterminatas volunt, aut tollant corruptionem illam, ob quam iudicia instituta sunt, & restituunt nobis, si possunt, na- turae integritatem; aut, si id facere nequeunt, iudicia in humano genere relinquunt, nec postulent, quod in

A z

hac

hac vita imbecillitate præstari minime potest. Falluntur etiam grauiter, quando illius in sientia argumētum trahunt dictum Seruatoris O. M. Matthæi V. commate 40. quod sic habet : *ei, qui vult contende tecum, ut accipiat tunicam tuam, relinque etiam pallium tuum.* Neque enim hoc loco iudiciorum vsum e medio sublatum cupit Christus ac Dominus noster; sed vindictam solummodo priuatam prohibet, atque iniuriæ acceptæ pensationem, cum quis par pari reddit; id quod ex verbis proxime antecedentibus manifestissimum est ad perspicendum. Pari vero in errore versantur, qui Paulum Apostolum, I. Corinth. VI. omnia iudicia forensia reprobasse existimant: quippe cum ad hæc ipse plus vice simplici prouocauerit, citoque loco solum peruersos Corinthiorum mores castiget. Verum hæc satis iam disputata sunt ab aliis, vi derique e nostratisbus possunt Vulteius de Iudiciis, Lib. I. c. 7. n. 19. Tabor. in Armamentario, quod vocat, Iustiniani, c. 5. §. 13.

S. II.

*Propos-
tum ope-
ris.*

Nostræ, quam in præsentiarum exordimur, com mentationis ratio est, DE CVRIIS PROVINCIALIBVS SAXONICIS, certissimis iuris oraculis fugitiiram sistentibus Astræam, publica scriptione quadam proponere. Tum vero præstantia argumenti, a nemine quod sciamus, vel professæ vel perfunctoria saltem opera adhuc expensi, postulare videtur, tum quoque ipsa bona methodi efflagitat ratio, ut ex suis fontibus &

& genuinis causis accurate singula deducamus. Quam ob rem hic allibuit ordo, vt principio quidem de iudiciis reipublicæ Germaniæ, & quæ facies eorum antiquissimis pariter temporibus, ac medio quoque ævo, ad hanc nostram vsque æratem fuerit, generatim strictimque nomnulla tradamus ; deinceps vero speciatim Curiarum provincialium, quæ in Saxonia florent, origines, ac iura, amplissimamque dignitatem, & iurisdictionem, excuso Cameræ Imperialis iudicio in his terris æmulam, pro virili explicemus. Faxit Deus, vt hoc euéniat feliciter !

S. III.

In ipso tractationis limine sub incudem examinis reuocasse iuuat, certo-ne veritatis fundamento natur, quam quidam scriptores souent, opinio, fuisse nimirum aliquando talem Germaniæ populorum statum, vt nulli inter eos iudices, nullaque iudicia essent constituta ? Prouocant equidem huius sententia patroni ad Velleium Paterculum, qui *Libro 2.* commemorat : *Germanos, cum Romanorum iudiciorum formam conficerent, miratos fuissent, quod iniurie apud indicem legitima ac solenni disceptatione finirentur.* Præterea locum vrgent apud L. Annaeum Florum, *Lib. 4. cap. 12.* quo is cladem Varianam, in qua præcipua Germanorum in cauifidicos & iudiciorum ministros saeuitia exitit, sequentibus verbis describit : *Nihil illa cede per paludes perque silvas cruentius ; nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen*

*An vetu-
stissimi
Germanie
populi ca-
uerint
iudiciis?*

in cauſarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant; unius os futurum, recifa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, viperæ, fribilare desistet. Ex his itaque concludunt, adeo a recto iudiciorum ordine aliena fuisse maiorum nostrorum instituta, ut gladio potius ac via facti, quam per legitimos iuris ac iustitiae tramites, controveneras suas dirimerent.

§. IV.

Dubia reſolviuntur. Enim vero quamquam non licet ire inficias, atque tiquissimis Germania temporibus haud raro ius velut in armis positum, illudque ab ipsius vocabulo vix litterarum transpositione discriminatum fuisse; tamen, ad persuadendum cuiquam plenarium iudiciorum defecatum, isthac argumenta neutiquam idonea sunt. Et quod ad citatos attinet scriptores, utrumque quidem patriarum, quam Germanicarum rerum, peritiorem fuisse, prætereaque Velleium Paterculum in posteriore operis sui parte fidem non semper mereri, satis constat. Esto autem, indubia veritate niti illorum tradita, minime tamen exinde consequitur, iudiciis omnino caruisse antiquissimos Germanorum. Quin diuersam saltem Germanica, a Romanorum forensibus iurgiis, formam habuisse, simplicioremque longe in illis quam in his procedendi modum fuisse, neque legum multitudine, neque malitia aduocatorum, neque lucri cupidine lites protelante; ac denique populum, cui nihil supra libertatem fuit, Romanorum tribunalibus, qua in Cheruscis instituere ceperat Quintilius Varus,

cauſas

A

causas suas committere noluisse, id quidem est, quod
laudatorum euincunt testimonia auctorum.

§. V.

Propius accedit ad tractationis nostræ scopum De ratio-
ne veter.
Germ. in-
dicatorum
Cæsar. quænam ratio fuerit antiquissimorum Germaniæ iudiciorum? Constat enim, quod tam publici regiminis, quam iudiciorum, quæ illud fere sequuntur, variis temporibus alia sit natura ac forma. Illam vero pulcherrime nobis explicant C. Iul. Cæsar, & Corn. Tacitus, quib[us] de Germanorum rebus scribentibus fidem habere tanto magis possumus, quod & hostes fuerunt Germanorum, & qua prudentiam pariter atque sincerum mentis iudicium, facile inter omnes historicos ducunt familiam. Ita vero Cæsar libro 6. de *Bello Gallico*, narrat, aliam belli tempore, aliam in pace fuisse iudiciorum rationem. *Cum bellum, inquit, ciuitas aut illum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello presint, ut viri necisque habeant potestatem, diliguntur: in pace nullus communis est magistratus, sed principes regionam atque pagorum inter suos iasidunt, controversiasque minuantur.*

§. VI.

Similiter Tacitus, cap. n. de Morib. Germ. De Testimoniis minoribus, ait, rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes prætractentur.

Cœlum

Coēunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur: nam agendis rebus hoc aūspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituant, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec iussi conveniunt. Sed & alter & tertius dies cunctatione coēuntum absuntur. Ut turbae placuit, confidunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum & coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout etas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout sa- cundia est, audiuntur: auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu adsperrnatur: sin placuit, frameas concutunt. Horatissimum assensu genus est armis laudare. Licet apud concilium accusare quoque, & discrimen capituli intendere. Distinctio poenarum ex delicto. Prodi- res & transfugas arboribus suspendunt. Ignanos & imbelles, & corpore infames, cono ac palude, injecto in- super cruce, mergunt. Diuersitas supplicii illuc respicit, tanquam sclera ostendit oporteat, dum puniuntur, fla- gitia abscondi. Sed & leuioribus delictis, pro modo paenarum, equorum pecorumque numero, conuicti mul- tantur. Pars multa regi, vel ciuitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis eius exsoluitur. Eliguntur in iisdem conciliis principes, qui iura per pagos vicos- que reddunt. Certi singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas, adsunt.

§. VII.

§. VII.

Illud autem, quod scribit Cæsar, bellico magistratus vita & necis concessam potestatem, prorsus est aduersum Taciti narrationibus. Duces, ait iste, cap. 7. (hi autem sunt magistratus bellici Cæsaris) exemplum potius quam imperio, si promti, si confisi, si ante aciem ragent, administratione presunt. Ceterum neque animaduertere, neque divinare, neque verberare quidem nisi sacerdotibus permisum, non quasi in paenam, nec ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Videntur autem cum p. Tacito facere potius, quam cum Cæsare, etiam quæ ab aliis scriptoribus hac parte memorantur. Vnde liquet, aut Cæsarem minus comperta tunc nostra habuisse; aut paullo post eius ætatem imminutam fuisse dum potestatem, libertatis popularis incremento. Ita quidem de hac dissensione iudicat vir summus, H. Conringius, in, de Iudiciis reipubl. Germ. Dissertatione, §. 7. quæ plenissima est rectiorum doctrinæ. Fortassis etiam ad conciliationem locorum pugnantium facit, si dixeris, duces, cum punire vellet, opera sacerdotum vlos, declinanda iniuria caussa. Sacerdotes enim decorum in puniendo ministros putarunt Germani veteres. v. Taçitus cap. 10. §. 6.

§. VIII.

Ceterum ex laudatis scriptoribus hoc etiam constat, quod vt totius reipublicæ, ita nec iudiciorum magna fuerit in veteris Germania populis diuersitas.

B

At-

Veteres
in comi-
tis exer-
cuerunt
iudicia.

10 CAP. I. DE GERMANIAE

Atque procul dubio obseruarunt illam iudicum constituantur rationem, quæ statui ex populari & aristocratico commixto maxime censetur idonea. Facit in luculentum eius rei argumentum, quod illis temporibus tantum non omnia negotia iudicia, in primisque maioris momenti controvierias spectantia, in publicis concilis atque conuentibus fuerint exercita. Atque hoc ea de causa dignum obseruatu nobis videatur, quia certissimum est, suoque loco vberius declarabitur, a conuentibus illis iuridicis, quos etiam *curias* appellarunt, & quibus olim principes ipsi interesse praesesse solebant, iudiciorum institutionem, quæ postea temporis inualuit, originem duxisse. Quippe cum haud raro eiusmodi negotia, in quibus periculum in mora fuit, inciderent, insuperque difficile ac sumtuosum esset, in unum crebro conuocari populum. Idecirco commodum atque e re publica visum, certorum numerum senatorum, juris perpetuo dicundi causa, in eius concilii locum substituere, illique etiam collegio appellationem *curie*, angustiore tamen sensu, vel relinquere vel tribuere. Plane ut olim Romanis æquum visum est senatum vice populi consuli. §. 5.
Inst. de Iur. Nat. Gent. & Ciu.

§. IX.

Conuentus Nullas Germanorum populis vrbes habitatas suis *iuridici* se, ex Tacito de M. G. c. 16. satis notum est. Colunt, insub dio in- quit ille, discreti ac diuersi, ut fons, ut nemus, ut fluiti. campus placuit. Vicos locant non in nostrum (Romanorum sc.) morem, connexis & coherentibus adi- ficiis:

ficit: suam quisque domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue incitia edificandi. Exinde vero nemo non animaduertit, in splendidis palatis conuentus suos iuridicos haud instituisse veteres Germaniae incolas. Prata erant, amoenique aspectu campi, in quibus Diuæ Themidos sacra peragebant. Eodem quoque antiquissimi Romanorum usi sunt instituto. Et sicut comitia, quibus a coeundo vel comeundo, ut veteres scriebant, nomen impositum, nihil aliud erant, quam conuentus populi, ad ferendum de aliqua re suffragium instituti: ita *curiata* quidem, sub quibus calata etiam continebantur, in comitio, & foro, quod tecto caruit (vnde comitia inducta sepe ob tempestatem desolata) & locus iuxta curiam, caussis, qua inde forenses dictæ, disceptandis solemnis erat; *centuriata* in campo Martio, *tributa* vero vel in campo, vel in comitio, vel in pratis, aliquando etiam in capitolio habebantur. Nihil enim referebat, extrane, an intra pomoerium cogerentur. De quibus omnibus peculia-ri opere, in tres diuisio libros, erudite Nicol. Gruchius, exposuit, *de comitiis Romanorum* inscripto. Similiter de antiquis Sueonum Gothorumque populis testatur Io. Stirnhööl. *Lib. I. cap. 2.* tractatus, quem de vetusto eorum iure edidit, illos iudicia sua in comitiis publicisque conuentibus, & quidem plerumque sub dio, exercuisse. Cui hac parte calculum addit Io. Messel. in *Spec. Regni Suec.* *cap. 10.* vbi tradit, non longe ab Vpsalia locum esse, duodecim lapidibus inclusum, vulgo *Mornstein* dictum, vbi Status regni ab antiquo conuenient. Sed & eundem iudicia exercendi morem

B 2

alios

alios populos seruasse satis constat; ac de Frisia quidem testatur Vbbo Emmius, lib. 13. Hisp. Fris. de Gallis Hotomannus, in Franco-Gall. cap. 27. de aliis alii, vid. Lehmann, in Chron. Spir. Lib. 2. cap. 29. & 30. itemque lib. 5. cap. 4. in fin. Aug. Thuan. Tom. 2. Hisp. part. 1. Hertius, Opusci. Vol. 1. Tom. 2. p. 415. n. i. quod

§. X.

Comitio- *veteribus Germaniaæ, aliarumque regionum populis,* dicorum ut vel ipsa iudicia plenis exercent comitiis, vel *salatio red-* tem magistratus, iurisque ac iustitia administratos, in illis *ditur.* eligerent. Cernitur nimirum huius instituti sapientia & utilitas duabus maxime rebus. Principio enim in magnō prudentium numero, magnitudo consilii, ac propterea salus populi, quam merito supremam esse decet legem, versatur. Deinde notum est illud Politicorum enunciatum, comitiis sublatis, nullam esse populi libertatem. Quare etiam frequentissima illa existunt in rebus publicis omnino liberis, vel saltē mixtis; parciora in monarchiis absolutis ac illimitatis; nulla prorsus in tyrannide. Itaque magna libertatis pars est, quorum periculo res geritur, ut illa eorum consilio atque auctoritate administretur, adeoque quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Haec etiam causæ fuerunt, quod veteres Romani regi quidem senatum ordinarium attribuerunt, summam autem reipublicæ ipsi populo in comitiis resernarunt. Quam ob rem etiam sub omnibus regibus hac lex fuit, ut po-

pulus

pulus in comitiis, magistratus crearet, leges sanctaret,
maiorisque momenti controversias ipse decideret;
quod Dion. Halicarnas. Lib. 2. pluribus testatum facit.

§. XI.

Quae cum ita sint, perspicuum est intellectu, *De indicis
vsum comitorum iudicialium in variis illis populis,
qui circa medium fere seculi, a natō Christo, tertii,
glorioso Francorum nomine innescere, caputque
præ reliquis Germaniæ populis extollere cœperunt,
minime exoleuisse. Quin potius illos veteribus li-
bertatis institutis firmissime inhæsisse argumento est,
quod non alio, nisi propugnandæ communis liber-
tatis scopo ac studio, regnum condidere, eandem-
que in ciuitatem transiuerere. Vid. *Dissert. de Ducatu
Franconia cap. I. §. 2.* Quam ob rem non dubium est,
publicos etiam iustitia administranda causa conuen-
tus, ex more gentis, habitos esse; immo id factum,
disertis verbis affirmat Hincmarus, Archi-Episcopus
Rhemensis, *Epistola 3. ad Francie Episcopos, cap. 29.*
Praetereaque colligere hoc licet, ex Lege Salica,
Alemannorum, Baiuvariorum, Ripuariorum, nec non
capitularibus Dagoberti regis, & successorum. Vid. Ioh.
Schilterum, in *Instit. Iur. Publ. Tom. I. Lib. I. Tit. 2.
§. 3.* Phil. Reinh. Vitriarium, in *Instit. Iur. Publ. Lib.
I. Tit. 2. §. 20.* quo loco vir clarissimus, Io. Fridericus
Pfeffingerus, non solum citatam Hincmari Epistolam,
sed & complura alia exhibet monumenta, quibus
manifeste euincitur, in regno Francorum primæuo,*

& cum Mærouingicæ propaginis reges rerum poti-
rentur, pleraque omnia populi negotia, in primis au-
tem iudicaria, in comitiis agitata, ac de primorum sen-
tentia definita fuisse. Adeat quoque, cui lubet,
Franc. Hotomannum, in *Fraco - Gallia*, cap. 12. §.

13.

De habitu iudiciorum Germaniaæ facies, breuiter exponam. Quem-
rum vero hæc est naturalis fere grandiorum
corporum ratio, vt non possint commode moueri,
nisi in varia velut resoluantur membra, atque hæc ite-
rum in alias quasdam partes minores diuidantur, quo,
excitate communi principio partes sibi proximas,
hæc deinceps alias remotiores vrgent impellantque,
& sic vniuersa machina motus fiat particeps: eodem
plane modo in vastissimo Germania regno, postquam
Caroli demum M. auspiciis in vnum corpus coaluit,
cum regimine iudicario, vt ita loquar, comparatum
fuit. Nimirum videntur illa tempestate iudiciis præ-
fuisse partim concilium ordinum omnium, aut sal-
tem certæ alicuius prouinciae, partim rex ipse, par-
tim a rege constituti varii duces & grauiones, seu
comites, cum scabinis & assessoribus, partim episco-
pi, partim denique legati, vel, vt tum loqueban-
tur, missi regii. Conring. in *Exercit. ante landata,*
§. 21. Hert. in *Notit. Regn. Franc. veter.* cap. 5. §. 35.

§. XIII.

§. XIII.

Ad concilia generalia, quæ etiam placita, curiæ, *De iudiciis conuentus populi, &c.* audiebant, regulariter tantum *comitiales*- negotia, ut nunc vocant, status pertinebant, v. g. de *bus*, creando rege vel abdicando, de pace & bello, de legibus publicis, de summis honoribus, præfecturis & procurationibus reipublicæ, de assignanda patrimonii parte liberis defuncti regis, vel dote filiabus constituenda, & quæ huius generis erant plura. In primis vero tenendum est, caussas principum, saltē illas, quæ rem publicam attinebant, & commune civitatis bonum, haud alibi, quam in eiusmodi conciliis atque a paribus curiæ decisas fuisse; quæ quidem origo est illius iuris, quod hodieque dicimus *das Fürsten-Recht*. vide Io. Strauchiūm, *de Recensat. Iudic. Camer.* §. 1. Burgold. *ad Institutum Paci West.* Disc. 19. §. 3.

§. XIV.

Extra ordinem tamen haud raro eveniebat, ut re-
ges Francorum caussas etiam priuatorum in publicis uatorum
conuentibus cognoscerent. Patet hoc ex annalibus quoque
Francorum ad annum 802. apud Lambecium Tom. 2.
Bibliotheca Cesar. p. 383. ibi: Congregauit Imperator
Aquisgrani Duxes, Comites, cum reliquo Christiano
populo, & legislatoribus, & fecit omnes leges in regno
suo legi, & tradi unicuique hominum legem suam, &
emendare, ubique necesse fuit, & emendatam legem
scribere, & vt indices per scriptum iudicassent, & mu-
nera

IVX 2

nera non accepissent, sed omnes homines, pauperes & dientes, in regno suo iustitiam habuissent. Similiter Ioach. Vadianus, de colleg. & monast. vct. Germ. lib. I. testatur: Haud raro etiam comitia celebrabant reges, omnium ordinum conuentu, in quibus de caussis sacris, proprias, publicis priuatisque decernebatur. Eodem modo de comitiis sub Ludouico Pio celebratis loquuntur annales, ad annum 814. Habito Aquisgrani generali populi sui conuentu, ad iustitiam faciendam, & oppressiones popularium sublenandas; &c. vid. Lehmann. Cbron. Spir. Lib. 2. cap. 37. & lib. 5. cap. 4. in fin.

§. XV.

Diversa iudicandi ratio et iustitiam in caussis minoribus. Regulariter autem ita obtinuit, vt primorum quidem controversias minoris momenti rex ipse solus que iudicaret; exortæ autem inter minoris fortis homines lites a constitutis ad hoc officialibus, vel in conuentibus particularibus, vel in praesentia Scabinorum seu assessorum, qui ex plebeiorum ordine ipsis dati, definirentur. Testis eius rei locupletissimus nobis est ipse Carolus M. in L. 3. capit. 77. apud Ansegisum, his verbis concepto: *Vt Episcopi, Abbates, Comites, & Potentiores quique, si causam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram subeantur venire scientiam, neque illorum contentio alicubi iudicetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium iustitie, remaneant. Neque ullus Comes Palati nostri potentiorum causas, sine nostra iussione finire presumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium iusticias faciendas sibi sciat esse vacandum.*

§. XVI.

§. XVI.

Quemadmodum vero ad regis iudicium haud raro etiam deferebantur appellationes aut querelæ, ob negatam vel protractam iustitiam: ita quoque statim temporibus princeps ipse in iudiciis præfens erat, causasque inferioris ordinis ciuium audiebat, atque sententia sua finem iurgiis imponebat. Sic in *L. 5. cap. 243.* est: *Si quis voluerit dicere, quod ei iuste non iudicetur, tunc in presentiam nostram veniat; aliter vero non presumat in presentiam nostram venire, pro alterius iustitia dilatanda.* Eodem modo Ludouicus Pius. A. DCCCXXIX. tit. 2. capit. 14. statuit: *Populo autem dicatur, ut caueant de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut Comites, eis iusticias facere noluerint.* Quo vtroque loco appellationem abusus, quem adeo iam tum temporis fuisse manifestum est, tollitur. Ceterum in citato cap. illud etiam habetur: *Hoc Missi nostri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada diem, ad causas audiendas & iudicandas, sedere volamus.* De Carolo Magno Eginhardus, in vita eius, scribit: *Cum calcearetur, & amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam si comes palatii litem esse aliquam diceret, que sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introduci iussit, & , velut pro tribunali federet, lite cognita, sententiam dixit.* Conf. Hottomannus in *Franco-Gall. cap. 27.* Hertius in *Not. Reg. Franc. vet. cap. 5. §. 37.*

*De appellationibus
ad regem*

C

§. XVII.

*De iuris-
dictione
Comitis
Palatini.*

§. XVII.

Ex dictis vero simul elucet, quod illustrissimo, inter iustitiae administratos, loco fuerit Comes Palatinus, der Ober-Hof-Richter. Ad eum deferebantur duorum generum causæ, alia nimirum per modum simplicis querelæ, ut hodie dicimus, alia per modum appellationis, v. Conring, in laudata iam aliquoties, *de Iudicis*, Dissertatione §. 29. vbi recte monet, memoratu digna esse, de officio Comitis illius verba Hinemari, *Epistol. 14. ad Ludou. Balb. R. cap. 19.* quæ sic habent: *Comes Palatii de omnibus secularibus causis, vel iudiciis suscipiendis curam instanter habeat, vt nec seculares prius Dominum Regem, absque eius consulo, inquietare necesse haberent, quo usque ille pro-
videret, si necessitas esset, vt causa ante Regem merito
venire deberet.* Et cap. 21. vbi sic pergit: *Comitis au-
tem Palatii inter cetera pene innumerabilia, in hoc ma-
xime sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, que
alibi orte propter equitatis iudicium Palatium aggre-
diebantur, inste & rationabiliter determinaret; seu
peruersa indicata ad aequitatis tramitem reduceret: vt
& coram Deo propter institutam, & coram hominibus
propter legum obseruationem, cunctis placeret. Cete-
rum eodem loco traditur, quod causarum ecclæ-
siasticarum cognitio simul ad Apocrisiarium seu Ar-
chicappellanum spectauerit. Pluribus veterum te-
stimoniis, singulari studio collectis, Palatini Comiti-
tis officium illustrauit Dn. Pfeffinger in *Annot. ad
Variar. Lib. I. T. II.**

§. XVIII.

§. XVIII.

Proximum est ut videamus, quænam Missorum regiorum, quos hodie commissarios, visitatores, ^{De iudiciis} aria Mis-
vel delegatos extraordinarios vocare possis, circa iu- ^{aria Mis-}
dicatorum exercitium fuerint partes. Has autem per- ^{orum re-}
spicue nobis exponit Cap. 26. L. 2. sequentibus verbis: ^{potestate.}

Primo, ut conuentum in locis duobus aut tribus congre-
gent, vbi omnes ad eorum legationem pertinentes con-
uenire possint; & omnibus generaliter notum faciant,
qualis sit eorum legatio. Scilicet ad hoc esse se a nobis
Missos constitutos, vt si quilibet episcopus vel comes, mi-
nisterium suum, propter quodlibet impedimentum, im-
plere non possit, ad eos recurrat, & cum eorum adiu-
torio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa
fuerit, qua per eorum admonitionem emendari non pos-
sit, ea ad nostram notitiam deferatur. Et si forte epi-
scopus aut comes aliquid negligentius in suo ministerio
egerit, per istorum admonitionem corrigatur. &c. Eius-
dem generis est quod habetur, in L. 3. cap. 38. ibi:
Volumus, vt propter iusticias, que usque modo de par-
te comitum remanserunt, quatuor tantum mensibus in
anno Missi nostri legationes suas exerceant, i. e. in bie-
me, Ianuario, in verno, Aprili, in estate, Iulio, in au-
tumno, Octobri; ceteris vero mensibus unusquisque co-
mitum placitum suum habeat, & iusticias faciat. Missi
autem nostri quater in uno mense & in quatuor locis
habeant placita sua cum illis comitibus, quibus congruum
fuerit, ut ad eum locum possint conuenire. Confer
omnino Hertium in Notit. Regn. Franc. veter. cap. 5. §. 27

C 2

§. XIX.

§. XIX.

*De iuris-
dictione
Comitum,
& qui b
adiuncti,
Scabino-
num.*

Sequitur ut paucis etiam de iudicaria Comitum potestate, dispiciamus. Horum appellatio apud Romanos primum venerunt primarii omnium Comitum, ordinum administrati, qui principem comitari semper & qui b solebant. Declinantis autem Romani Imperii temporibus comites etiam dicti, qui in prouinciis iuri dicundo praeerant, vid. lib. 3. Cod. de Offic. Rector. Prou. Rubrica Cod. de Comitibus qui prouincias regunt. In Germania Grauiones olim erant iudices publici, ex primaria nobilitate electi, certisque pagis seu districtibus, Gouer, praefecti. Hi in vernacula Grauen, hoc est, senes sive seniores, haud dubie a canicie dicti; quippe quod non nisi viri graues, & canicie præfertim venerabiles, ad munus iudicis deligebantur. Plane vti in ecclesia primitiva qui a muneri ratione Episcopi, iidem ab aetate Presbyteri, vocati sunt. Post apud Francos, qui in Galliam vietricibus armis transgressi, pleraque Romanorum nomina ac instituta amplexi, Grauiones Comitum appellatio venire coeperrunt. Ad hos itaque omnium minoris generis con- trouersiarum decisionem spectasse, Germanicarum rerum scriptores copiosissimis testantur exemplis. Ex quibus hoc etiam discimus, more ab antiquissimis usque temporibus seruato, cui liber Comiti certos adiunctos fuisse assessores seu Scabinos, plures vel pauiores, homines tamen illos ingenuos, atque ex plebe opti-

optimos. Constat hoc ex capit. *Anfegisi*, ubi tom. 3.^o cap. 33. ita legitur: *Missi nostri scabinos per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reuersi fuerint, secum scripta deferant.* Itemque cap. 74. *In omni comitatu hi, qui meliores & veraciores inueniri possant, eligantur a Missis nostris, ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, ut adiutores comitum sint, ad iusticias faciendas.* Vid. plur. Carolus Cangius in *Glossar. voc. Scabini, Scationes, Conring de Iudic. §. 26.*

S. XX.

Locus, in quo Comites ius dicebant, vocabatur *Mallus*, forte a *Mahl*, quod nobis idem est ac si iudicia ex-
tum aliquod, vnde Mahlstatt, id est, locus congres-
sui publico destinatus. Primum enim iudicia sub *Quo loco
Comites?*
dio celebrata fuisse, iam supra obseruauimus. At Ca-
rolus M. & Ludouicus Pius teuctum addi mallo iusse-
runt. Verba capitularis Ludouiciani sunt. *Volumus
utique, ut domus a comite, in loco ubi mallus teneri
debet, constituantur, ut propter calorem solis, & pluuiam,
publica utilitas non remaneat.* Compare *Conring. de
Orig. Iur. German. cap. 7. Gryphiandr. de Weichbild.
Saxon. cap. 65. n. 8. Brummer. de scab. cap. 5. §. 3. Hert.
in Notit. Regni Franc. Vet. cap. 5. §. 43.* Lucem quo-
que dictis affundit Marq. Freherus, quando in *Or-
iginib. Palat. cap. 5.* sic ait: *Cum quidem tunc Fran-
corum omne regnum in comitatus diuisum esset, qui co-
mites regio nomine ius per pagos dicebant, ipsi in burgo
aliquo, id est, oppido, arcem impositam habent, resi-
dentes,*

dentes, in quo Mallus publicus, id est, auditorium & tribunal esset: unde Comes, & pagenses sui, sunt relatiua, ut subinde in Francorum legibus Carolinis videmus. Add. Ockel. de Palatio regio, seu Scabina-
tu Hallensi. §. 15.

§. XXI.

De Scultetorum ac Centgracionum iurisdictione. Coronidis loco addendum est, quod cum *Gouetorum* ac seu pagi plerumque satis late paterent, neque adeo cuius Grauioni (præsertim cum illi & alia reipublicæ negotia incumberent) omnibus caussis controversis vbiique locorum superesse liceret, quod, inquam, iam illa tempestate quidam Comitum vicarii, qui nomine illorum minoribus iudiciis, certisque locis præfessent, constituti fuerint. More namque Francorum veteri prouinciae in pagos, seu certas regiones tractusque, pagi in centenas, centenæ in decurias diuidebantur. Centenas itaque & decurias minoris generis magistratus procurabant; qui etiam hinc *Centenariorum* seu *Centgracionum* appellationem sortiti. Hi, si Conringium aliosque sequimur, alio quoque nomine dicti fuere *Schultheſii* seu *Sculdesii*, *Sculteti*, &c. quod tamen quibusdam securus videtur. Id certum est in personis iudicariis numeratos quoque fuisse Scultetos. Et sicut frequens illarum vocum mentio occurrit in antiquis legibus Germanicis, in primisque apud Odefridum, antiquissimum vernacula nostræ scriptorem, ita in diplomate Ottonis M. apud Baronium Tom. 9. p. 5. diserte officii ratio exprimitur:

tur: Nullus Marchio, Comes, aut Vice-Comes, Sculdesius, vel quilibet ex iudicaria potestate. Similiter Paul. Warnefridus, *Histor. Longob.* Lib. 6. cap. 24. ait: Rector loci, quem *Schuldheis* vocant. Vocis etymon a *Schuld heisen*, quod nobis debitum exigere notat, scite deriuat Ant. Matthaei *Lib. 48. de Crimin.* tit. 20. cap. 2. n. 3. Vade constat non nisi cauſas pedaneas minoris que momenti ad officium Sculteti pertinuisse. Hinc vero noua coniectura probabile fit, Centgrauii partes, saltem nonnullis in locis, expleuisse Scultetum; siquidem & illius cognitio ad magnarum rerum controuerſias haud refrebatur. Ita namque habet capit. Caroli M. tertium, A. DCCCXII. *Vt nullus homo in placito Centenarii,* neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas vel mancipia iudicetur; sed ista aut in p[re]ſentia Comitis, vel Mifforum nostrorum, iudicentur. Adi *Continguum de Iudiciis* §. 27. qui in sequentibus etiam de iudicaria Episcoporum potestate multa cumulauit, qua[rum] tamen exscribere neque liber, neque ulterius persequi, ad instituti nostri rationem pertinet.

§. XXII.

Atque hæc facies iudiciorum fuit sub imperio *Etiām Francorum.* His autem anno DCCCXII. in Ludouīco IV. seu infante extinctis, ingens quidem publici *post tem- pora regiminis, &c.* quo[rum] hoc fere sequuntur, iudiciorum *Franco- mutatio, tum in toto Germaniae regno, tum quo- rum anti- quitatis imago re- mansit.* facta est. At quædam tamen antiquitatis imago hac et iam

iam parte remansit. Falluntur namque, qui existimant, subito ac vno quasi momento per Carolingicæ gentis interitum vsque eo inuersum fuisse reipublicæ statum, ut pristinam eius formam nullo amplius modo cognosceres. Nesciunt, qui hæc tradunt, lenti quidem, non autem violentis gradibus, imperiorum mutationes contingere; neque intelligere videntur, facilius istarum effectum cerni, quam modum. Conferat, qui volet, Dissertationem, de causis mutati feudorum iuris.

§. XXIII.

Iudicia il- Ceterum non solum de veteris instituti reli-
lius cui quii, sed & de mutationis, quæ postea sequuta est,
vel totam ratione, sic optime constare potest, si obseruemus,
Germani- duplex in vniuersum post tempora Francorum fuisse
am vel iudiciorum genus: vnum quidem eorum, quæ ad
singulas totam rem publicam Germanicam controuersiasque
provinci- vndique in ea exortas, pertinebant: alterum ve-
as specta- ro talium quæ certas duntaxat provincias seu regio-
bant. nes respiciebant. Prioris generis iudicia rursum in
Illa rur- duplii differentia erant, siquidem alia in plenis
sum vel comitiis procerumque conuentibus agitata, alia con-
Imperiū, tra ab Augusto solo eiusque arbitrio exercita. Extin-
vel Impe- data enim regnatrice Carolidarum familia, cum vi-
ratorū. deretur reddita potestas, quam singuli populi ante
erum victorias habuerunt, non diminuta, sed fir-
mata potius fuit comitiorum auctoritas.

§. XXIV

§. XXIV.

Argumenta comitialis tractationis rursum duplicitis generis erant, *publica* nimirum alia, alia vero *priuata*. Illo loco habebantur caussæ ipsius Regis, pertinentes ad totius reipublicæ administrationem, nec non controuersiæ inter Imperatorem atque Ordines regni, vel etiam hosce solos intercedentes. Seruatus enim ab antiquissima inde memoria fuit iste mos, vt eiusmodi controuersiæ nunquam fuerint permittæ vnius regis iudicio, sed semper eorum diiudicandarum potestas simul esset penes Imperii Proceres. Quare nunc etiam hoc iure, firmato insuper per varias legum publicarum tabulas, meritissime utimur. Ceterum *priuatas* quod spectat lites, hæ vel per modum extremæ prouocatio-
nis in comitiis proponebantur, vel quod negata, aut protracta saltem ab inferioribus iudicibus dicere-
tur iustitia, vel etiam quod ipsi regionum domini a subditis suis conuenirentur.

§. XXV.

Præterea quoque earum, quæ imperatoria cognitioni relicta erant, caussarum, diuersa admodum ratio fuit. Quædam enim ab ipso Cæsare *immedia- te*, vt ita loquar, decidebantur; quando scilicet modo in hoc, modo in alio commoranti loco, semper tamen, aut regulariter saltem, magno comitum primariorunque aulae ministrorum, quin & episco-

D

*Impera-
tor etiam
vel ipse,
vel per
Comitem
Palati-
num ius
reddidit,*
porum,

porum, numero stipato, frequentes, ut fieri assolet, subditorum preces ac desideria offerebantur; quibus cognitis perspectisque, promta vt plurimum, ac vélut extemporanea administrata fuit iustitia. Ex aduerso autem nonnullæ eius generis causæ ad iudicem Cæsaris ordinarium, Archi-Palatium scilicet Comitem, qui in Rhenensi prouincia, prisco Cæsarum domanio, sedem suam atque tribunal habuit, quemque iurisdictionis suæ ambitu totum Imperium olim complexum fuisse constat, referebantur.

§. XXVI.

Imperato- His ita summatum præmissis, ante quam ad *rie cogni* alia progrediamur, breuiter monstrandum est, quo *tiones dif-* pacto ex duplice illa, quæ solemnis olim fuit, caus-*ficies red-* fas Imperii iudicandi ratione, celsissima, quæ ho-*dite.* die florent, Imperii iudicia, Senatus Imperatoris Aulicus, atque Camera Imperialis, prognata fuerint. Et ad illum principio quod attinet, olim quidem, sicuti prædixi, atque inde ab incunabulis re-*gnii Germanici, maiorem illam ac meliorem Impe-* rii partem, iustitiae scilicet administrationem, ipsi Imperatores, vel immediate, *in der Hof-Cantzley,* vel in Archi-Palatio, *in dem ordentlichen Hof-Gericht-* te, procurabant. Vid. Vffenbach. *de Consilio Cæsareo-Imperiali Aulico, cap. I.* Verum sequioris ævi vsu vtraque in parte notabilis facta est mutatio. Causas enumerare longum foret. Exempli autem loco sunt, quod multiplicatis subinde immediatis regni Ordin

Ordinibus, lites quoque ad Imperatorem proxime spectantes, insigniter fuerunt auctæ. Has vero impeditas ac difficiliores reddidit peregrini iuris receptio, maximeque prolixus ille, qui Pontificio iure fuit introductus, procedendi modus. Deinde in immensum fere indies exsurgens publicorum negotiorum moles, vix locum amplius reliquit rerum minoris momenti cognitionibus. Accesserunt frequentes Cæsarum ex Germania profectiones, & id genus alia. Atque, ut paucis multa complectar, mutato in quam plurimis prisco rerum statu, mutata quoque fuit præca iudicij illius forma, neque Cæsar omnibus rebus superesse amplius potuit.

§. XXVII.

Adhac quoque Archi-Palatini sui ad Rhenum *Palatini*
Comitis auxilio, in legitimis rerum controversiarum *Comitis*
disceptionibus, desitui coepit Imperator. *Quod qui-*
dem sequenti modo euenit. Vindicauit ille, summus *iurisdictione*
quondam ciuilium æque ac criminalium cauſarum iu-
dex, successu temporis propriam sibi ac hereditariam *plane*
potestatem, neque nudo Imperatoris ministerio in iu-
re dicundo amplius defungi voluit. Hinc vero etiam
valde circumscripsi fuerunt iurisdictionis ad ipsum spe-
ciantis limites. Et quæ olim ambitu suo totam com-
plexa erat Germaniam, nunc Rhenensis prouinciae li-
mitibus, ac ne his quidem omnibus, terminata. Qua
ex re porro manifestissime apparet, neminem quemquam
Imperii Procerum fori competentiam in Rhenensi Pa-
latio posthac agnouisse. Et quamquam beneficio

D. 2

Ca-

Caroli IV. Imperatoris vicaria ista iuris reddendi potestas restituta videbatur Palatino Comiti, vide Aureæ Bullæ titulum 5; constat tamen, istam duntaxat ad tempus vacantis regni restrictam, neque tunc etiam per vniuerfam Germaniam, veteri more, extensam, sed Saxoniam, cum terris ei accensis, nominatum fuisse exceptam.

§. XXVIII.

Hinc Consiliū Cæsareo Imperio insti-
 Interea temporis non minutæ, sed potius multis oppido modis auctæ cernebantur Principum æque ac priuatorum controvërsiæ. Quapropter nulla re maioris videbatur opus, quam vt perpetuus aliquis ordinaretur senatus, qui summo Cæsareæ Maiestatis nomine cauſas ex omnibus tum Germaniæ tum Italiae prouinciis ad eam delatas, seruato iuris ordine, cognosceret, atque secundum legitimos iustitiae tramites definiret. Atque hæc ergo origo est excelsissimi illius Iudicij, seu Consilii, quod veteri stylo diuersoque respectu vocabatur die Keyserliche Hof-Cantzley, itemque das Keyserliche Hof-Gericht, hodierno der Keyserliche Reichs-Hof-Rath. De cuius Ordinationibus, quas vocant, ac supereminentie iurisdictione, ceterisque prærogatiuis, laudatus iam supra Vffenbachius conferri omnino mereatur. Ex dictis interim appareat, non ferendum esse illorum errorem, qui primam augusti huius Iudicij institutionem, vel ad Maximilianum I. vel ad Ferdinandum I. referunt; quamquam in obſcuro non sit, quantum vterque Augustus ad eius vel confirmatio-

nem

nem vel reformationem, nouis ordinationibus conditis, aliaque ratione, contulerint. Confuse Io. Andr. Gerhardum, *de Supremis in Imp. Rom. Iudiciis. cap. 1.* Schilterum, *in Comment. ad Ius Alemann. cap. 18. §. 3.*
& in Inst. Iur. Publ. Lib. IV. tit. 4.

§. XXIX.

Consequens est, vt quem ad modum loco veteris *De' Origini* iudicia exercendi modi, qui quidem plenis in comitiis, ne *Cameræ* obseruantur, excelsum *Cameræ Imperialis* iudicium constitutum fuerit, paucis quoque ostendam. Nimurum *re Imperi. alis.* pro certo habendum est, quod omnium seculorum annales loquuntur, iudicariam per totum Imperium potestatem in argumentis comitrialibus numeratam, ne que soli Imperatori simpliciter reseruatam fuisse. Itaque non modo caussæ statum ipsum reipublicæ spectantes, sed priuata etiam ordinum controversiæ, in convenientibus illis disceptabantur. Hi vero ex lege regni, atque immemorialis temporis vsu, quotannis erant instituendi. Quandoquidem autem eiusmodi negotia, in quibus periculum erat in mora, multa incidebant quotidie; auctusque esset in eum modum Procerum numerus, vt difficile videretur eos crebrius in vnum conuocari iudicij exercendi gratia; præterea annui isti congressus nimios sumtus exigebant, adeoque Ordinibus valde erant onerosi; porro nec hac tamen via communii bono fatis erat prospectum, maxime quod Imperatores locis negotiisque distracti non poterant semper caussis audiendis vacare, insuperque hæ variis nouarum legum li-

D 3

tiuumque

tiuumque ambagibus in longum protractæ, ac velut in extricabiles erant redditæ; ac denique recens pacis publicæ constitutio perpetuam requirebat executiōnem, &c. ideo annua ista comitia tantisper abrogata fuerunt, subrogato in eorum locum, quod ad causas quidem publicum Imperii statum spectantes, Regimento, quod ad reliquas autem, Camera Imperialis Iudicio: quorum quidem illud mox in desuetudinem abiit, substitutis, ut videtur, in eius locum conuentibus deputatorum; hoc vero, quod Dei munus est, hodieque vicit floretque. Confer Recessum Comitorum Wormatiensium, de anno 1495. Ordin. Regim. anni 1500.

§. XXX.

*De causis
ad Came-
ram per-
tinentibus
summa-
tim.*

Causæ iudicij in locum comitorum surrogati, vniuersim duplicitis generis sunt, vel simplicis querelæ, vel appellationis. Illis subiiciuntur omnia membra immedias, nisi quæ exemptionem probare possunt, aut priuilegium primæ instantiæ coram Austregis vel arbitris. In causis appellationum, etiam mediatorum intuitu, fundata est iurisdictio; nisi obstat priuilegium de non appellando. Ceterum utri per institutionem Cameræ Imperialis nequaquam sublatum fuit Consilium Cæsaris Aulicum, quod quidam mendose tradiderunt; ita notissimum est, in quamplurimis causis concurrentem habere iurisdictionem laudatissima illa tribunalia; quadam tamen iura Senatui Aulico veluti reseruata sunt; de quibus post alios conferri meretur B. D. Cocceii, in *Turis publ. Prud. cap. 32.*

§. 6.

§. 6. & sequentibus: namque hæc in præsenti prolixo
disputare non patitur summarie commentationis ratio.

§. XXXI.

Propius ad institutum pertinet, ex multis, quæ Confirma-
suppetunt, argumentis vnum saltem alterumque pro-
ferre, ex quo constare possit, verum esse, quod de us dicto
surrogatione illa vtriusque augusti Iudicij asservimus.
Hoc autem primo manifestum redditur ex eorum con-
stitutione, quandoquidem illustres Senatores Aulici a
solo Imperatore, Camerale autem a Cæsare atque Imper-
rii Ordinibus simul constituuntur. Conf. Ordin. Came-
rae de anno 1555. ibi: daß die Beysetzer von der Keys-
lichen Mayest. auch Churfürsten, und Ständten des Heil-
igen Römischen Reichs, an solche hobe Inſtitut geordnet,
und an ihrer Statt sitzen. Ex quo statim cognoscitur,
cur illorum potestas per mortem Augusti finiatur, ho-
rum integra nihilo feciū seruetur auctoritas: certissi-
mo nimirum indicio, aliud esse solum Cæsarem,
priscumque illius iudicium palatinum, aliud Imperato-
rem iuxta cum Imperio, hoc est, veterem comitialium
Iudiciorum imaginem, repræsentare. Alia argumenta,
ab illorum Iudiciorum visitatione, reformatione, ex-
ecutione, &c. desumpta consulto præterimus. Hoc vnum
denuo obseruantes, in se quidem longe antiquissima
esse illa vtriusque generis iudicia, nouam vero saltem
recentioribus saeculis, in primisque Maximiliani I. lau-
datissimi Imperatoris, auspiciis, ea accepisse formam.
Compara Goldastum, Constitut. & Rescript. Imp. Toin. I.

p. 311
pag.

pag. 84. Limnæum, de Iure Publ. Lib. 9. cap. 4. n. 26.
Gerhardum, cit. loc. in Prælim. §. 6. Dattium, de Pace
Publ. Lib. 4. cap. 1. n. 17. 18. & seq.

§. XXXII.

Iudicis Proximum est, ut de Iudiciis prouincialibus,
Prouincia- quæ præter duo illa summa ac vniuersalia tribunalia
ha vel ab fuerunt, quedam commemorem. Hæc autem iti-
Imperato- dem duplicitis generis sunt; alia quippe ad Impera-
re, vel ad U- torem, alia vero Ducem prouinciæ, seu regionis Do-
ce exercita- minum spectantia. Circa priora illa rursus diuersa
obseruanda venit ratio. Vñ namque vetusto obti-
nuit, ut controuersiæ, statum particularem alicuius
prouinciæ spectantes, in ipsa prouincia ventilaren-
tur, neque illius ordines extra eam auocarentur.
Iam quia ab initio non integræ prouinciæ Ducibus
arque Proceribus aliis, iure feudi erant concessæ, sed
saltem quedam earum pars, vna cum Officio Princi-
pis, mit dem Fürstenambacht, cetera autem Regis
imperio ac iurisdictioni immediate manebant subiecta;
vide. Schilter in *Comment. ad Ius Alem.* cap. 44. §. 1.
itaque historiarum monumenta loquuntur, Cæsares
ipsoꝝ, iuris dicundi cauſa, in varias Germaniæ pro-
vincias suis profectos, quemadmodum etiam con-
stat, eos in singulis sua habuisse palatia.

§. XXXIII.

De Comis Verum quia in singulis etiam prouinciis cauſa
tibus Pala- litigiosæ indies augebantur, atque a Casarea Maie-
state

state sine pudore postulari nequibat, vt ad quascun-
que minoris etiam momenti causas sponendas, ipsi uinciali-
tadiosum iter modo in hanc modo in illam suscep-
tent regionem: igitur certi Comites Palatini in sin-
gulis ducatis, seu prouinciis maioribus, erant con-
stituti; partim vt illi res leuioris momenti, nomi-
ne & auctoritate Imperatoris, in conuentibus ordi-
num prouincialium, deciderent; partim vt maiores
causas, per litteras aut nuntios ad eum perferrent;
partim denique vt iura fisci, vestigalium, ac in sum-
ma, Palatiorum Cæsareorum emolumenta, curarent.
Vid. Heiderus in Apolog. pag. 7. ibi: *Allerhand Stedte,
Dærffer, Regalia, &c. ausgezogen, und dem Reich vorbe-
halten; zumal denen Hertzogen ihre Pfalzgrafen, de-
nen Bischöffen und Aepften ihre Kastenvägte, und dann
denen Städten ihre Reichsvägte überbunden, und an die
Seite gesetzt worden, welche der Keyser und Könige
Iura der Enden in Acht nehmen, und ublich fortsetzen
müssen.* Add. perill. Dn. L.B. de Lyncker, *de Superio-
rit. territor. Iunge Weichbild Art. VII. §. 5.* item Speculum Sax. Lib. III. Art. 53. §. 1. & Speculum Sue. Lib. 1. Art. 19. ibi: *In Teutischen Landen hat jedes Land
seinen Pfalz Grafen, &c.*

§. XXXIV.

Quemadmodum vero in singulis Prouinciis De indi-
fuerunt certi Comites Palatini, qui dicebantur *Land- ciis Cesa-
grafen, Landvögte, Burggrafen, &c.* quorum Pri-
E reo - pro-
mas uinciali-
bus.

mas erat Archi-Palatinus Comes ad Rhenum: ita quoque facile apparet, in vnaquaque prouincia certa extitisse iudicia seu tribunalia prouincialia, mandatario Cæsaris nomine administrata, *Keyserville Land-Gerichte*, in quibus omnes caussæ ordinum provincialium immediatorum, præside Palatii Comite, assidentibus autem quibusdam regionis proceribus, decidebantur. Audiri hac de re meretur Auentinus, quando *Annal Boic. L. 4.* de Comite Prouinciali, eiusque iudicio, hæc tradit. *Is vice Cæsaris præsiden-*
do senati principali fungebatur, fidem Imperatoris
implorantibus aderat, insue reddebat, fiscum Augu-
sti, prædia salica, reditus regios procurabat, Cæsareum
censum exigebat. Nihil citra eius auctoritatem Ducu
aut decernere aut statuere licebat. Si senatus consul-
tum reguli, i. e. Ducus, displicebat, intercedebat, ad
Cæsaremque referebat. Add. excell. Dn. Ludewig.
in German. Princ. Lib. 5. cap. I. §. 3.

§. XXXV.

Iudices prouinciales duo, Palatii Cæsarei Comes. Quælibet ergo maiorum Germaniæ prouinciarum, vt Ducem peculiarem, ita quoque proprium Palatii Comitem habuit. Adeoque etiam probe est obseruandum, quod *Index Prouincialis* veteribus duplícier dictus: primo is qui vice Imperatoris instituit administravit in Palatio regio, qui inde Comes Palatii seu Palatinus appellatus; atque huius iurisdictio spectabat potissimum immediatos illius prouin-

cia

ciæ ciues. Neque enim, quod iam superius monui,
integrae statim prouincia Ducibus & aliis Proceribus
iure feudi erant concessæ, sed immo Cæsari, etiam
medio ævo, certa oppida prouincialia, &c. immediate
fuere relicta. Secundo igitur & is Index Prouincialis
vocabatur, qui tanquam Dominus regionis in suos ci-
ues proprio nomine iudicariam potestatem exercuit.
Exinde porro elicitur, quod quilibet Princeps qui de
territorio feudali ab Imperatore per vexillum erat in-
uestitus, habuerit suam quoque peculiarem curiam pro-
vincialem, in conuentibus ordinum regulariter institu-
tam. Confer Schilterum, in Comment. ad Ius Ale-
mann. cap. 18. §. 4. cap. 42. §. 26. cap. 44. §. 1. Cocceium,
in Iuris Publ. Prudi. cap. 15. §. 17.

§. XXXVI.

Digna sunt memoratu, quæ de hisce posterioris De iudicis
generis iudiciis prouincialibus scribit Auentinus c. 1. prouincia-
lib. 4. Fuit Reginoburgum sedes longo tempore regulorum libus prin-
Boiuarie, sacerdotesque superiores aulam principis Boio-
rum frequentes se tababant, statis diebus quotannis
conuentibus iuridicis, ceterisque Boiuarie conciliis in-
teresse solebant. Conf. Fritsch. de Conuentibus Pro-
vincial. c. 2. Similiter de illis iudiciis prouincialibus,
Landgerichten, sequentia habentur in iure Alem. prou.
cap. 38. Über achtzehn Wochen soll ein ieglicher Fürst,
und ein ieglicher Herr, der Gerichte von dem Kœnig em-
pfangen hat, sein Landgeding haben. Kein Herr soll

auch sein Landgericht nicht pieten auf einen Furtag.
Addit. Ius Saxon. Provinc. L. 3. c. 41. Quibus ex locis luculenter appareret, nondum illis temporibus habuisse Duces eius generis Collegia iuridica sive iudicaria, quæ hodie passim locorum sunt instituta; sed in comitiis provincialibus, auf den Land-Tagen, causas inter ordines præcipue confroueras, decisas fuisse. Interim persuasissimum nobis est, iudicia illa provincialia, quæ nobis Hof-Gerichte, Land-Gerichte, Cammer-Gerichte, Quartal-Gerichte, &c. audiunt, quæque nostra ætate tantum non in omnibus Germaniæ provincialibus habentur, eodem prorsus modo in locum comitorum provincialium surrogata, partemque præcipuam ex selectis ordinum provincialium equitatis dignitatis personis constituta fuisse, quo excelsum Camerae Imperialis iudicium in comitorum vniuersalium vicem successisse, paulo ante dedimus probatum.

S. XXXVII.

Comites Palatini Cesarei in Ducum potestatem transierunt.
Reliquum est, ut paucis etiam significemus, quænam fata habuerint Comites illi Cæsarei provinciales, cum suis iudicis Palatinis. Nimirum autem indies fuit variorum iurium accessionibus Ducum potestas. Quare ut hi iam olim concurrentem in pluribus caussis habuere, iurisdictionem cum Comitibus Palatinis; vid. Schiltcr. in *Comment. iuriis Alemann. cap. 18. §. 4.* ita sine magna difficultate factum, ut eadem, si non proniore, ratione liberarentur illis Cesarum vicariis provincialibus, qua quidem Ad-

VO-

vocatis suis vale dixerunt Episcopi; quos olim acer-
rimum telum aduersus ecclesiasticam libertatem fuisse,
scribit Browerus, lib. 4. Annal. Treurens. Itaque in
provinciis quæ vulgo clausæ dicuntur, hoc est, qui-
bus vnuis aliquis communisque Princeps, cum sum-
mo post Cæsarem imperio præst, huius in potesta-
tem transierunt comitatus illi Palatini. Vide Con-
ring. de Iudic. §. 9. eidemque iunge excellentissimum
Struuium, in Syntagm. Iur. Publ. cap. 24. §. 34. & in
Historia Iuris German. cap. 6. §. 30.

§. XXXVIII.

Quantum vero attinet ad ea, quæ in Francia De fatis
Sueviaque adhuc supersunt iudicia Cæsarea prouin-
cialia, ista partim hodieque in primæua indole per-
sistunt, atque a solo Imperatore dependent; quo lo-
co habendum in primis est Iudicium Aulicum Roth-
wilense, vt recte docent Mauritius, de Iud. Rothwi-
lens. cap. 2. §. 5. & D. Suederus Parte Spec. secl. 1.
cap. 14. §. 3: Partim vero ad instar Archi-Palatini
Comitis Rhemensis, ipsis Comitibus Palatinis seu
Burggrauis, partim denique aliis Ordinibus, heredi-
tario cesserunt iure. Illustrissimum istius rei exem-
plum cernitur in Iudicio Cæsareo - Prouinciali Burg-
grauiatuſ Norici, quod Serenissimis Marchionibus
Brandenburgicis perpetua feudi lege ab antiquissimis
temporibus concessum, varique generis priuilegijs
subinde ornatum fuit, atque hodie in principali fede
Onolsbacensi statis temporibus exercetur; quo de

CAPIT

E 3

post

post Limnæum professo studio egerunt, Ioh. Henricus Hagen, nec non Dn. Wolfgang. Gabr. Pachelbl a Gehag. De ceteris autem iudiciis Cæsareo - Prouincialibus vide sis D. Cocceium, in *Inr. Publ. Prud. cap. 22. §. 40. & seq.* vt & laudatum Dn. Struivium *citato loco*; D. Burgemeister. im *Grauen- und Ritter-Saal*, aliasque plures.

§. XXXIX.

Quibus ex caussis iudiciorum Cæsareo-prouinciautoritati devenienti deratrum sit?

Nobis coronidis loco, ad hoc caput, caussæ potissimum tres obseruandæ videntur, ex quibus evenierit, vt Dicasteriorum Cæsareo - Prouincialium auctoritati plurimum fuerit detractum. Prima est, magni illius turbulentique interregni calamitas. Erat namque tum temporis ius in armis positum: & cum nulla Imperatoris in toto Imperio cerneretur auctoritas, eum multo minus in suis iudiciis respiciebant Ordines. Altera caussa videtur, quod non Imperatoris amplius, sed suo potius nomine iurisdictionem exercuere Principes, quorum in potestatem iudicia illa Cæsarea transferunt; quibus adeo reliqui Ordines se subduxerunt. Tertia, quæ primo numeranda fuisse loco, caussa fuit, sollemnis Camerae Imperialis institutio. Ceterum quod de abolendis iudiciis Cæsareo - prouincialibus in Westphalica pacis tabulis, artic. V. §. 56. actum, neque ad omnia spectans, neque commodum fuisse videtur, nisi constituto in eorum vicem communi aliquo iudicio circulari, *ein allgemeines Creys-Gericht.*

CAPVT

CAPVT SECUNDVM

DE

ORIGINE CVRIARVM PROVINCIALIVM
SAXONICARVM,

§. I.

Saxonum inter veteres Germaniae populos non *Saxoniae* meminit Tacitus. Seculo autem tertio & quarti *populi* to eorum nomen iam per celebre fuit. De huius *proprias* etymo varia variorum est sententia. *Quem ad modum* etiam de priscis Saxonum sedibus, sacris, bellis, *semper habuere rationes.* aliisque institutis, multa est disputatio, quam tamen in praesenti non facimus nostram. Hoc vero ad scopum, quod Saxones omni tempore peculiaris fuerint populus, peculiare regimen ciuale, proprias leges, propriaque habuerint iudicia.

§. II.

Forma reipublicae veterum Saxonum fuit populi *Status* iaris. Testis grauissimus est Beda, qui aetate Caroli Martelli, circa annum DCC. floruit, & lib. 1. hist. eccl. cap. II. ait: *Saxones regem non habent, sed satrapas plurimos suae genti propositos*, qui, ingruente belli articulo, mittunt aequaliter fortes, & quemcunque fors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, & huic obtemperant: peracto autem bello rursus aequalis potentiae omnes satrapae fiunt. Add. Witichind. Lib. 1. Annal.

§. III.

§. III. CAPITULUM TERTIUM

Hinc &
iudicia
eorum
fuere po-
pularia
seu curia-
ta.

Inde vero consequitur, iudicia veterum Saxonie populorum itidem fuisse popularia seu curiata, hoc est, in conuentibus ciuium, seu curiis exercita: argu- mento, quod illa statum ac regimen totius ciuitatis fere sequuntur; quod in primis exemplo Romanæ reipublicæ docemur. Cuius ex historia hoc etiam in nostram, quam agimus cauſam, accipimus, quod si- cut in ea comitorum omnium *curiata* erant antiquis- sima, quippe quibus Imperii Romani fundamenta iacta, ita quoque tempore liberae reipublicæ velut præsidium libertatis illa extiterint. *Curia* autem vocabu- lum, vt & hoc statim admoneamus, a *Cura* deductum esse, tuetur Varro, *de Ling. Latin.* Lib. 45. & Non. Marcell. Lib. 2. *de vita populi Romani*, vbi, *Propter curam*, inquit, *locus quo suam quisque domum senator confert*, curiam *appellat*; itemque Festus, Lib. 3. *Cu- ria*, ait, *locus est, vbi publicas curas gerebant*. Vid. Car. Sigon. *de antiquo Iure Ciui. Rom.* Lib. 6. cap. 2. Arnold. Vinn. *in Notis ad Leg.* 2. §. 2. *de Orig. Iur.* Atque euolue etiam Carol. Cangium in *Glossar.* voc. *Curia*.

§. IV.

Propria
Saxonibus
fuere iura.

Propria ab antiquo iura, & a Francorum legi- bus distincta, Saxones habuisse, partim ex iudicio rum instituto partim vero ex eo manifeſte colligitur, quod subactæ demum a Carolo M. & Christi sacris imbutæ Saxonie, formula subiectionis fuerit, vt Sa- xones

xones vnuis cum Francis essent populus, sed suis legibus viuerent: Comitibus tamen, seu iudicibus a Francis constitutis, regerentur. Ita Poëta antiquus apud Dn. Cocceium, in *Iure Publ. Cap. 3. sect. 3.* canit:

Tum sub iudicibus, quos rex imponeret ipsis,
Legatisque, suis permisi Legibus vti
Saxones patriis, & libertatis honore.

Add. Meibom. *Introduct. ad hisp. Sax. Infer. pag. 77. & seq.* vbi & speciatim p. 79. de Saxonum Trans-Albinorum iuribus. Enim vero quod in Speculo, ut vocant, Saxonico habetur, genuinum illud ac primum Saxonum ius esse, æque falsum arbitramur, atque hoc, quod aliqui citatum Speculum ad Carolum M. referendum esse existimant; cum verius sit, postea demum, quam iure canonico Germania vti coepit, simul inualesce tunc etiam Germanice scribendi usu, receptas illo auo tum aliarum, tum quoque Saxonæ prouinciarum consuetudines, adiectis quidem multis peregrini iuris placitis, & quibusdam etiam nugis, in litteras redactas fuisse. Conf. Werhof. in *Iur. encl. Proœm. cap. 2. §. 8.* Ockel de Scabin. Hallens. §. 4.

§. V.

Quod ad personas iudicia Saxonica administrantes, minoris quidem momenti caussæ Scultetis atque tibus Saxonie. Scabinis solis fuerunt permisæ, grauiora vero negotia Comitibus iniuncta; qui etiam plerumque in conuentibus ordinum prouincialium mandatam si-

F

bi

bi a rege iurisdictionem exercuerunt, atque in criminali quidem iudicio semper assessorum siue Scabini-
rum vni sunt consilio. Digna in hanc rem memo-
ratu sunt verba Caroli M. quae ex antiquis tabulis,
in Vindiciis Billingianis, recitat Meibomius: *Quia
propter in illa parte Saxonie Trutmannum virum illu-
strem, ibidem Comitem ordinamus, ut resideat in curte
ad campos, in mallo publico, ad uniuersorum caussas
audiendas, vel recta iudicia terminanda. Isque ad-
vocatum omnium presbyterorum in Saxonia fideliter
agat, superque vicarios & Scabinos, quos sub se ha-
bet, diligenter inquirat, & animaduertat, ita ut officia
sua sedulo peragant.*

§. VI.

*Saxonum
iudicia
sub dio
exercita.*

Ex loco proxime citato hoc etiam constat, Sa-
xoniæ perinde atque aliarum Germaniæ prouincia-
rum Comites, iuris dicundi cauſa certos instituisse
conuentus, qui etiam placita, & Malli appellati fue-
runt. Diximus vero iam supra, Mallum dictum esse
a *Mahl*, id est, signo. Ut enim scirent subditi vbi
sibi comparendum esset coram iudice, in loco iudicij
vim signi habens lapis, arbor, pertica, vel etiam crux
ligneæ, cum gladio & manu, aliisque insignibus ap-
pensis erigebatur, ad quam iudex vel Scabini, de iu-
stitia æqualiter administranda, nemini deneganda, iura-
re solebant. Vide pluribus Frid. Brummerum, in pul-
cherrima Dissertatione, *de Scabinis*, cap. 5. §. 3. Ve-
rum postea temporis in Saxonie quoque terris cer-
ta

ta Palatia seu iudicia prouincialia condita fuere, in quibus Reges vel eorum Missi ad tempus commorarentur, Comites autem ordinario velut in loco iudicia exercent. Conf. *Ius Sax. Prou. lib. 3. art. 62.* ibi: *Fünff Städte sind, die Pfaltzen gebeissen, &c. in quibus etiam Alstadium numeratur.*

§. VII.

Quandoquidem vero tempore Carolingorum *Misfforum in Saxon. nia auto. ritas.*
Comites sub sua gubernatione tenuerunt nonnunquam territorium haberent, ita ut s^ep^e vni ciuitati aliquis præsiceretur; Reges autem in illorum actus ab dissidentiam locorum, aliasque causis, inquirere non possent, hinc in Saxonie quoque terras, *Missi Regii* ablegabantur, quorum munus erat visitandi provincias cuique Comiti assignatas, examinandique sedulo omnia negotia, præsertimque cognoscendi, quo modo rerum suarum satagerent episcopi, abbates, aliæque personæ ecclesiasticae, itemque comites & iudices locorum; propiciandi etiam, ut iurisdictio tam ecclesiastica, quam ciuilis bono ac debito modo administraretur, denique procurandi atque expediendi omnia quæ possent, reliqua autem, quæ ipsi compонere nequirent, vel ad ipsum regem remittendi, vel coram de singulis ex fide referendi. Conf. Freher. *de Orig. Palat. Parte I. p. 2.* Knipchuld. *de Ciuit. Imperial. Lib. 5. cap. 3. n. 88.* Ockel. *de Palatio Regio, seu Scabinatu Hallensi, §. 54.*

F 2

§. VIII.

§. VIII.

Comites Palatini, vel Provinciales, in locum Missorum surrogati. Sed quoniam Saxonis sub Imperatoribus multæ aliæ dignitates hereditario titulo, aut, si manuis, perpetuo feudi iure, in Principes Germaniaæ collatae sunt, factum hinc quoque est, ut functiones illæ, quas olim *Missi Regii*, seu *Commissarii Regales*, per temporum vices obibant, in certas personas iure munieris ordinarii, perpetuaque feudi lege, transcriberentur. Quemadmodum quod priscis temporibus iuxta cum *Honore indicis*, quem vocabant, reliqua omnia officia feudalia fuerint, horum vero quamplurima a vera atque primæa indole degenerarent, velutque hereditaria facta fuerint, in Commendatione, de *Paribus Reipubl. Ministri ac Vasalli iuriibus*, perspicue monstratum est. Quapropter, quæ ambulatoria olim, extraordinaria, ac delegata tantummodo fuit potestas, ea nunc ordinaria facta, proprioque nomine ac iure exerceri coepit. Atque hæc, nisi me omnia fallunt causa est, quod Saxonis sub Augustis Missorum Regiorum functio si non omnino euanuit, saltem rarius usurpata est, ex aduerso autem illustrissima *Pfalzgraviorum*, *Landgraviorum*, & *Burggraviorum* nomina audiri coeperunt.

§. IX.

De inuolenti illestante istate. Illi ergo supra aliorum Comitum, quos fere ditione sua complexi, dignitatem longe euecti, Principium Imperii Ordini adscripti sunt. Illi priscis in Cæsa-

Cæsarum Palatiis suas habuere sedes, curiasque iuridicas, cum Ordinibus prouincialibus, quorum amicitia non immerito colenda videbatur, institutas. Illi prisca Scabinorum iudicia in meliorem formam reduxerunt, maximeque criminalium caſſarum cognitiones eis demandarunt. Illi denique, vt in panca rem contrahant, Ducis prouinciae potestatem amulati, translatoque in primis a Saxonibus ad Francos Imperio, Cæſareorum Officialium, hoc est, vasallorum proprie ſic dictorum, habitum magis magis exuerunt, atque velut a ſcipsis ita diſefferunt, vt præter antiquum dignitatis axioma, fere nihil reliqui feciffe vide-rentur. Quid quod tandem eo ventum, vt Palatinatus prouinciae Saxonicae cum ipso Ducatu fuerit coniunctus. Consule pluribus Bullam Saxoniam Caroli IV. §.3. apud Goldastum, tom. I. ad annum 1376. Albinum, in Chron. Misp. tit. 15. Gullitmann. Habsb. Lib. 4. cap. 2. Reiner. Reinecc. in Append. ad Annal. Wittichbind. Et quæ in hanc rem collecta sunt vetus tatis monumenta a clariss. Pfeffingerio, in notis ad Vitriar. Lib. I. §. tit. XI. p. 937. Knipschild. de Civitat. Imperial. Lib. I. cap. 5. n. 11. & Lib. 5. c. 3. n. 102. Schilter. in Comment. ad ius Alem. cap. 42. §. 16. 17. & seq. Schubart. de Comit. Palat. Coccei. in Iure Publ. cap. 15. sect. 2. §. 16. Ockel. de Palat. Reg. §. 54.

§. X.

Nunc qua ratione Duces Saxoniæ, atque Landgrauii Thuringiæ, iurisdictionem territorialem, exercuerint, dispiciendum est. Iuuat autem ad pleniorum

F 3

*Iurisdi-
ctio terri-
torialis ad
modum
Imperia-*
rem

*lis exerci-
ta.*

rem rei intellectum cum Ludolpho Hugone, in elegan-
tissimo illo, *de Statu Regionum Germanie*, li-
bello, velut in vniuersum obseruasse, in regimine
Principum Imperii, miram quandam similitudinem,
cum ipsis Imperii administratione, praesertim qua-
lis olim fuit, deprehendendam esse. Primo enim
multæ illæ republicæ speciales, quas in Imperio
Romano-Germanico conspicimus, ad æmulationem
magnæ communisque reipublicæ constructæ sunt.
Dein in Principibus Imperii se offert analogia, quæ
inter ipsos & Imperatorem est: vnde vulgo dicunt,
Principem in suo Territorio esse Imperatorem; quod
tamen cum grano salis accipiendum est. Cæterum
ipsa Superioritas territorialis æmula Maiestatis ad-
posite dicitur, Regaliumque iurum complexum in-
fert. Porro Ordinibus Imperii, Ordines prouincia-
les respondent, eodemque modo tres classes, Prä-
latorum scilicet, Nobilium, ac Ciuitatum conficiunt.
Præterea Conuentus Prouinciales imaginem Comi-
tiorum Imperii publicorum referunt; eiusdem gene-
ris, licet non eiusdem magnitudinis, res in illis, at-
que in his aguntur; in quibus olim causæ litigiosæ
haud postremo loco numerabantur. Quemadmo-
dum vero superiore capite, §. XXIX. monstrauimus,
quod in locum Comitiorum, qua legitimas contro-
versiarum disceptationes, Camera Imperialis surroga-
ta; ita extra omnem controuersiam positum est, ea-
dem prorsus ratione in vicem curiarum seu conuen-
tuum prouincialium, iudicia illa, quæ proinde etiam
ipsa Curiae prouinciales appellantur, constituta fuisse.

Qua

*Eadem
Curiarum
prouincia-
lium, qua
Cameræ
Imperia-
lis origo.*

Quia de causa sicut Assessores Cameræ Imperialis ab Ordinibus Imperii constituuntur, illosque repræsentant; simili prorsus ratione, ut Assessores Curiarum Prouincialium, equestris dignitatis, ex numero Ordinum Prouincialium sint, maxime requiritur. Itaque quod in Imperio est augustum Camerale Iudicium, idem illud in terris Saxonice sunt Prouinciales Curia. Quapropter etiam in sequentibus suo loco eudentissime probatum dabimus, quod, *qua causa ad cognitionem Cameræ Imperialis pertinent, eadem quoque regulariter ad iurisdictionem Curiarum provincialium Saxoniarum referenda sint: & contra.* Superioribus hoc etiam adicimus, quod *quæ ratio & habitudo est, inter Cameram Imperialem, atque Senatum Imperatoris Aulicum, idem quoque respectus inter Curias Prouinciales Saxonicas, atque Regimina Aulica Ducalia, Landes-Regierungen, quatenus hæc iudicaria negotia tractant, tum ratione concurrentis iurisdictionis, tum alias, merito obseruandus sit.* Facit denique ad superiores comparationes, quod cuiuslibet Principis Regimen Aulicum, Consilii Imperialis Aulici speciem repræsentet. Vide Vulteum, *de Indiis, Lib. I. cap. 4. n. 62.*

§. XI.

Sed mihi ex amoenissimo dinerticulo redeundum in viam est. Dictum superius, quod Curiarum *tuto con-*
prouincialium Saxoniarum origo a conuentibus pro- uentuum
uincialibus repetenda sit. Horum enim antiquissimi *prouinci-*
mum alium.

mum est institutum; adeoque ex iuris pariter, ac consilii ratione, in terris Saxonis, in hunc usque diem conseruatum. De hac facile constat, scilicet, ut quod omnes spectat, ab omnibus adprobetur, atque ut subditus maiore patientia ac sine murmure ferant reipublicae onera. Iuris ratio in eo consistit, quod magnum est potentiae praesidium, concilium populi posse cogere. Vnde etiam si renuant ordines prouinciales comparere, eos a Principe cogi posse, communis est sententia; quemadmodum etiam comparatio in comitiis prouincialibus argumentum est subiectionis territorialis. Vid. Reinking. Lib. 1. de Regin. Secul. & Eccl. cl. 5. c. 4. n. 101. c. 5. n. 15. Myler. ab Ehrenb. de Prince & Stat. Imp. c. 45. §. 4. Ziegler. ad Prax. Calvus. §. Landfassen. Fritsch. de Conuent. prouinc. c. 3. §. 1. Hert. de Super. Territ. §. 24.

§. XII.

De vetere Curiarum prouinciis etiam ratiōne. Conuentus illi prouinciales antiquitus non eodem semper loco fuerunt instituti; neque enim certa, sed ambulatoria erat Ducum curia. Ad haec facilius longe, quam hodie, erat deliberationum ratio, quippe cum nondum tanta esset ordinum frequentia. Multiplicatis etiam prouinciis, peculiares in vnaquaque conscripti fuere conuentus. Et quemadmodum temporis successu, loco conuentuum illorum iuridicorum, delectis quibusdam ex ordinum numero, certa in qualibet prouincia instituta sunt iudicia; ita tandem ex his omnibus supremum aliquid, omnibusque prouinciis commune iudicium, quod appellationem Curiae pro-

prouincialis, des Hof- oder Ober-Hof-Gerichts, per excellentiam sortitum, conditum fuisse, certissime persuasum habemus.

§. XIII.

In confirmationem praecedentium assertionum varia nobis suppetunt argumenta. Et quod in Curiarum prouincialium fundatione aliqua procerum ratio fuerit habita, ex antiquissimis earum Ordinationibus, quas vocant, manifeste intelligitur. Ita in veteribus tabulis Curie Prouincialis Saxo-Ienensis, de anno 1566. Serenissimi Conditores sequentia proponunt: *Nachdem Wir biebeyern im 57. Jahr, uf dem damals gehaltenen Land-Tage zu Saalfeldt unsere gemeine getreue Landschaft mit einem sondern Hof-Gericht zu begnaden versprochen, und zugesagt. &c. Item Tit. 2. So sollen auch nach Gestalt und Gelegenheit der Sachen die verordnete Beysitzer der Landschaft iedesmal auf den Abend, zeitlich, des ersten Gerichts-Tages zur Stete erscheinen &c.* Adde Ordinationem Curiae Suprema Lipsiensis de anno 1549. ibi: *mit Bewilligung ihrer Liebden Landschaft ein Ober-Hof-Gerichte geordnet, &c. itemque Ordinationem Curiae prouincialis Wittebergensis, de anno 1550. ibi: Nachdem unsere Landschaft in der Chur Sachsen vor vielen Jahren mit einem sondern Hof-Gericht begnadet, damit sie allda unter einander &c.*

Et tit. 1. In diesem Hof-Gerichte sollen zwölf Personen sitzen, fünf Geläbte, und sieben von Adel aus der Landschaft; unter denen soll unser Ober-Hauptmann

Confirmatio superiorum, ex Ordinationibus prouincialis libus.

G.

des

des Chur - Kreis zu Wittenberg, wer es zu solcher Zeit
ist, Hof - Richter seyn.

§. XIV.

Testimonia Amt Weckii. Lucem quoque superioribus affundunt, quæ habet Anton. Weckius, in der Beschreibung der Stadt Dresden, Parte Secunda: ibi: Nicht allein vor etlichen hundert Jahren, sondern auch zu Anfang des vorigen seculi, ja kaum noch für 130. Jahren, hat es bey der damaligen Sachsischen Hertzoge hiesigem Estat, gleichwie in vielen anderen Dingen also auch in Regiments - Sachen, bey weiten einen anderen Standi gehabt, als derselbe ietzo anzutreffen: denn die Geschäftie des Hofs (welcher auch, sowol als die darzu gehörige Landschafften, etwas enger war) bestundez in einem einzigen Raths-Collegio; jedoch befand sich der Landes - Fürst meistens in Person beym Rathschlägen, welchen er, sowol in wichtigen, als auch nur in der Partheyen gemeinen Händeln persöbnlichen und gerne beygewohnet, ja wol zum öfftern die denen streitigen Theilen gegeben Abschiede eigenhändig vnterzeichnet: Et paucis interiectis: Nach diesem aber, und als die Botmäßigkeit über die Länder erweitert, auch folgends noch andere Provincien darzu kahmen, mußte auch im Regemente notwendig eine andere Verfassung ergriffen werden. Deinceps: Nachdem aber seithero anno 1486. Hertzog Albrecht zu Sachsen, und seiner Fürstlichen Gnaden Posteritat, Dero bestendiges Regiment altier gebabt, hat man auch eine stete verordnete Regierung dies Orths gehalten. Quibus cum aliis expli-

plicatis, taidem sequentia subiungit Weckius: über vorberührte hiesige Raths-Collegia seynd zwar noch im Churfürstenthum Sachsen, und denen Churfürstlichen Sachsischen Erb-Landen, das Wittenbergische Hof-Gerichte, welches des Jahres viermal, als Montags, nach Erhardi, Montags nach dem Sonntag Quasimodogeniti, den Tag nach Visitationis Marie, und den Tag nach Michaelis, besetzt wird. Und dann nechst diesem das Leipzigische Ober-Hof-Gericht, nicht zwvar daß dieses letzterverhnte jenem etwas zu befehlen hette, oder verzüglicher wære, sondern dahero, weil es bie bevor zu der Chur- und Fürsten zu Sachsen gemeinen Ober-Hof-Gerichte, welches aus dem Dresdnicchen, Eckersbergisch- und Leipzigischen unterschiedenen Provincial-Gerichten, als der Ländler Thüringen, Meisen und Osterland, Anno 1488. zusammen gezogen, gemacht, Anno 1548. aber von Churfürst Moritz an verbessert worden, für welchem Sie selbst Recht gegeben und genommen, und noch geben und nehmen, in dem Lehrlich 4. Termine, zu den 4. Quatember Zeiten, Reminiscere, Trinitatis, Crucis, und Lucia, gehalten werden, und können die Sachen, weil diese Gerichte mit der Regierung in der Jurisdiction concurriren, so in einem oder dem andern Orthe anhangig gemacht, nicht aber biehero genommen oder avociret werden, als biß sie durch eingewendete Appellationes vollends an die höchste Instanz gedeyhen.

§. XV.

Quantumuis autem quæ haecenus de Origine Cu- Sententi-
riarum Prouincialium Saxonicarum disputauimus, a, de ori-
G 2 quod. gine Cur.

CAP. II. DE ORIGINE

prou. alio- quodque illæ a conuentibus Ordinum iuridicis, qua-
rum scri- rem iuxta ac nomen, deducendæ sint, apertissima ve-
priorum au- ritatis historicæ ratione nitantur; tamen non abs' re-
toritate fuerit, vnum alterumque in medium proferre auto-
comproba- rem, qui non de Saxonis quidem, sed de aliis tamen
curiis prouincialibus, eadem nobiscum sentiat. Ita ve-
ro Francisc. Hotomannus, in Franco-Gallia cap. 27.
vbi, de Parlamentis Iuridicalibus agens, subnixusque
uctoritate Wilh. Budæi, ait: *Curie Parisiensis origi-
nem, a conuentibus iuridicis manasse, hanc dubia con-
iectura crediderint; quibus olim Principes interesse,
præesseque solebant; quoniam indiciui erant, nec loco
nec tempore stati. Vagam enim Parlamenti rationem
fuisse constat, quasque Prætorianum Principis consilium.*
Cum autem in Gallia nostra summam illam publici con-
ciliū auctoritatē imminuere Capetingi molirentur, &
certorum senatorum numerum in eius concilio locum sub-
stituere, augustum Parlamenti nomen, in illum pragmati-
corum & iudicium confessum transtulerunt. Parimodo
Lud. Hugo, de Statu Reg. Germ. cap. 4. §. 36. de iu-
ridicis in comitiis Imperii agitatis præcipiens, hæc sub-
iicit: *Iam vero Principes Germanie haud multum ab-
simili ratione ius dixisse, facile ostendi potest. Habuisse
singulos iudicium aulicum, hoc satis argumento est, quod
nomen, des Hof-Gerichts, hodieque passim superfit. Con-
uentus autem iuridicos egisse, conuocatis ad concilium pro-
vincia ordinibus, vel quibusdam saltet ex eorum numero
delectis, non obscure testantur superiorum temporum hi-
storia. Nec alia origo censenda est iudiciorum illorum
prouincialium, vel trimessium der Land- oder Quartal-*
G.

*Gerichte, quorum nomen itidem hodieque passim supereft.
Adde quoque, si videtur, Datiuum, de Pace Publ. Lib. 1.
cap. 20. §. 8.*

§. XVI.

Ceterum praequantissimas cauſas habuisse Serenissimos Saxonia Duces, cur in locum veterum conuentuum iuridicorum Provinciales Curias substituerint, sine magna difficultate potest intelligi. In illis vero procul omni dubio haud postremo numerari debet loco, ut instantiae iudiciales, quas communiter vocant, hac ratione augerentur. Suffragatur nobis hac parte illustris quondam Seckendorfius, cum in Tractatu, Teutſcher Fürſten-Staat, inscripto, P. 2. c. 9. §. 5. de origine curiarum prouincialium, earumque institutio- ne ſequenti modo diſſerit: *Nebſt diesem, und damit ſonderlich die Stände des Landes, und andere, welche ſonſt alſobald vor denen Regierungen oder Cantzelyen- des Landes-Fürſten zu Rechte ſtehen müſſen, und keinem Unter-Gerichte unterworffen sind, gleichwol noch eine andre Gerichts-Stelle hetten, darinnen mit gantz ordent- lichem Proceſſ verfahren, auch die Sachen durch ſothane Vermehrung der Gerichts-Stellen deſto färdlicher expe- diret werden mächtten, haben unterschiedliche Fürſten und Stände in Teutschland, vor langen Zeiten noch eine andre hohe Gerichtbarkeit zu weilen an dero Hoff, meh- rentheils aber an einem andern bequemen, und etwa im Mittel gelegenen Ort Landes, angeſtellet, welche man Hof-Gerichte, Landes-Gerichte, Cammer- oder Quartal- Gerichte nennet: & que ſunt reliqua. Compara quo- que, si lubet, Pfeiferum, in Origin. Lips. 2. §. 12.*

G 3:

85

& seq. D. Melchiorem ab Offe, in Testamento, Parte 2.
cap. 17. von dem Hof Gerichte, ibique in annotationibus illustrem virum, Christianum Thomasium.

§. XVII.

Curie Provinciales, Saxonicae, de iure adiumento fuerunt. Autem vero, per Provinciales Curias, instans iudiciorum judicialium numerum alia sequuta sunt comoda, præsertimque hoc, ut sartum atque tectum nico, defueretur antiquissimum illud, de non appellando, non appellando iuri, ius. Consulto autem de conservatione tantummodo huius instituti loquor. Testatissima namque res est, causas Saxonicas extra Saxoniā nunquam fuisse iudicatas; illiusque iuris singularis, ac celissimæ Saxonum Genti quasi propria prærogatiua, ætate sua ipsas quoque Caroli IV. & Sigismundi, Imperatorum, itemque Sixti IV. Pontificis Romani, nec non Maximiliani, & Ferdinandi, primorum eius nominis Augustorum, quas in hanc rem habemus, tabulas, ætate sua longissime supergreditur; id quod suo loco pluribus sumus demonstraturi. Hoc autem nemo iuerit inficias, quod, cum aliquando in dubium vocaretur insigne illud priuilegium, ad conservationem eius haud postremas partes contulerint Provinciales Curiae. Cumque hæ partim antiquiores sint ipso Camerali Iudicio, formaliter scilicet in comitiis Wormatiensibus, anno MCCCCXCV. instituto, non sine ratione dicendum esse arbitror, ad earum quoque integratam conseruandam referendum esse nouum priuilegium, Serenissimæ Saxonia Domui a Maximiliano I. post conditum Cameræ Imperialis tribunal, concessum: cuius quidem verba coronidis loco ad hanc pri-

primam, de Curiis Provincialibus Saxoniciis, Dissertationem, subiectienda duximus; sunt autem illa sequentem, in modum concepta. *Wir Maximilian, von Gottes Gnaden, erwehlter Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mebrer des Reichs, in Germanien, zu Hungaria, Dalmatien, Croatia, &c. König, Erz-Hertzog zu Oesterreich, Hertzog zu Burgund, zu Brabant &c.* Bekennen: Als vor etlichen verschiedenen Iahren auf den erst gehaltenen Reichs-Tag zu Worms eine Ordnung, und nemlich, welcher massen es mit unserm Kaiserlichen Cammer-Gericht gehalten werden soll, aufgerichtet, die auf nachfolgenden Reichs-Tagen, und nur am letzten zu Augspurg durch Chur-Fürsten, Fürsten und andere Stande des Reichs ein Zeitlang erstreckt ist, darinn dann der Hochgeborene Friederich, Hertzog zu Sachsen, Landgraffe in Thüringen und Marggraffe zu Meissen, des Heil. Rom. Reichs Erz-Marschall, Unser lieber Oheimb, Chur-Fürst, Rath und Statthalter, und andere Hertzogen von Sachsen auch verwilliget, daß *Wir* demnach dem gemelten Unsern Oheimb, Hertzog Friederichen zugesaget haben, wissenschaftlich, in Kraft dieses Briefes, also daß solch sein und anderer Hertzogen von Sachsen Verwillingung der gemelten Ordnung, des Cammer-Gerichts halber, seiner Lieb, und dem Haß Sachsen, an Ihren Freyheiten, Gebräuch, und Herkommen, unvorgreiflich und unschädlich seyn sollte, ungefehrlich. Mit Urkund dieses Briefes. Geben zu der Neufadt, am 10. Tag des Monaths Febr. nach Christi Geburt: Ein Tausend Fünffhundert und zwölff. Unsers Reichs, des Römischen im sechs und zwanzigsten, und des Hungarischen im zwey und zwanzigsten Iahren.

•••• (.) ••••

VIRO - IVVENI NOBILISSIMO
DOCTRINAQUE ET VIRTUTE ORNATISSIMO
IOANNI PAVLO VOCKELIO
IVRIVM CANDIDATO

S. P. D.

C. ACHATIVS BECKIVS, D.

Amplissima mihi suppeteret materia , *Nobilissime*
VOCKELI, de pulcherrimis animi tui dotibus,
atque illa cum singulari morum elegantia con-
iuncta virtute, copiose differendi. Verum, quod &
contractæ inter nos amicitiae leges modestiam tuam in
pudorem dare prohibent ; & honestissimam, qua vte-
ris, viuendi rationem, quotquot te propius norunt, ex
merito laudent ; & denique, quantum ingenio doctri-
naque valeas, tum alis multis speciminibus , in no-
stro hoc Musarum domicilio publice editis, tum vero
hac illustrissimis auspiciis, numeroſissimique cum ap-
plausu Auditorii, instituta Disputatione, apertissime de-
clarasti ; id circa in votum potius contraho verba,
Diuinumque Numen veneror, ut in certissimam patriæ
spem, iustumque Parentum honoratissimorum gaudium,
rebus tuis in futurum quoque semper adsit propitium.
Vale, Amicorum suanissime, ac me amare
perge.

Jena, Diss., 1720




3

5b.

KD18





B.I.G.

Farbkarte #13

DISSE^{TTATIONEM} PRIMAM

DE

CVRIIS PROVINCIALIBVS SAXONICIS

ADSPIRANTE DIVINO NVMINE

RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIP^E AC DOMINO

D O M I N O

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAEQUE
ET RELIQA

P R A E S I D E

CASPARE ACHATIO BECKIO D.

IVRIVM PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO
ET IN CVRIA PROVINCIALI SAXONICA ADVOCATO ORD.

PATRONO SVO AC PRAECEPTORE
PIE COLEND^O

PLACIDAE COMMILTONVM DISQVISITIONI
IN IVRE CONSVLTORVM AVDITORIO

DIE APRIL. CI CI CCXX

SVBIICIT
IOHANNES PAVLVS VOCKEL DRESD.
IVR. CAND.

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS.

